



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Parentum saluas animas diuinitus cognoscit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

quàm venire: adeo vocationis religiosæ benefici-
cium singulare est.

Sub hæc Fabro iam, vt in Lusitaniam perge-
ret, digressio Colonia, Canisius quoq; trepidè No-
uomagum accitur, quod Iacobus eius Pater peri-
culosè decumberet. Cōtinuò accurrit, vt quod in
se opis, officiiq; esset, tali tempore siue ad valetu-
dinem, siue ad migrationem pius filius bono Pa-
renti exhiberet. Sed, vt in ægri conspectum venit,
is, siue ex dulcissimi, amantissimi que filij optatissi-
ma præsentia lætitiæ repentinæ obrutus impetu, si-
ue alio percussus ictu fragilitatis humanæ, exem-
plo animam exhalauit. Mœstissimus inde Petrus,
non tam propterea, quod cui vitam, si posset, red-
diturus veniebat, attulisse, siue properasse mortem
videretur; quàm quod supremum illud æternita-
tis negotium, ita raptim subitoque sectum esset,
dum supplex, ac lachrymans animæ illi diuinam
misericordiam implorat, de statu eius hærens, atq;
sollicitus præsertim quod succurrebat, quã multa
hominem, quamque grauiâ priuatim, ac publicè
implicuissent negotia, placuit diuinæ bonitati
consolari pium filium, ostenditq; non Iacobum
modò Patrem, sed & olim vita perfunctam Ægi-
diam

parentum
saluas ani-
mas diuini-
tus cognoscit.

diam matrem Iustorum in pace requiescere. Et fanè Iacobo repentina magis acciderat, quàm improuisa migratio. Nam & admodum piè vixerat, & inter cetera pietatis documenta, quibus ad supremam se horam comparauerat, vestimenta sua præcipui splendoris, ac præcij sacerdotibus iusserat ad ornatum sacrorum attribui. Componēdis iam Petrus tenebatur rebus domesticis, & patrimonij etiam ex Euāgelij præscripto sua parte in vsus pauperum conferenda, cùm à Fabro, qui ex Lusitanico itinere Coloniā reuocatus erat, ad maturandū reditū inuitatur. Adfuit ille confestim, malens de pecunia quiduis, quàm de obedientia quicquam perire: nec rediit sine Apostolica præda. Quippe tres secum adolescentes adduxit, qui omnes Fabro magistro ad asceticam beati Ignatij normam exerciti, religiosi sese cœtibz addidere, nobis vnus, duo Carthusianis. Sed quam rediit Canisius ad Christi crucem, suumque Fabrum lætus, & alacer, tantum propinquis, præcipueque Nouercæ (quam de cetero nihil minus quàm Nouercam sibi ipse testatur fuisse) desiderium, ac moerorem reliquit: quem demum, in Fabrum ac erbius versi, querimoniis, & conuiciis effuderunt:
eum

*Res suas in
pauperes
confert.*

*Ob id Faber
acensatur.*